

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4547

Auteur(s) : Nicolas, Le Mont-Saint-Michel, Le Mont Saint-Michel (abbé)

Bénéficiaire(s) : Poilley, Notre-Dame de Montmorel (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1265, 19 octobre

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

L'abbé Nicolas et les moines du Mont-Saint-Michel notifient l'accord conclu entre eux, d'une part, et l'abbé et les chanoines de Notre-Dame de Montmorel, d'autre part, sur les dîmes du blé et du vin de quelques fiefs sis à Poilley

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Dubosc François, *Cartulaire de la Manche*, abbaye de la Luzerne, abbaye de Mont-Morel, prieuré de la Perrine, Saint-Lô, Jacqueline fils (Archives départementales de la Manche), 1878, Mont-Morel, n° CCXXVIII, p. 223-224.

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis vel audituris Nicholaus, divina miseratione, abbas Montis Sancti Michaelis de periculo maris et ejusdem loci conventus eternam in Domino salutem. Noverint universi quod, cum verteretur contentio inter nos, ex una parte, et religiosos viros abbatem et conventum Beate Marie de Monte Morelli, ex altera, super decima bladi et vini quam percipere solebamus et consuevimus apud Polleum, in territoriis sive feodis qui secuntur : videlicet in feodo de Plancha, in feodo de Ysigneo, in feodo de la Visconterie, in feodo Augu, in feodo as Costentins, in feodo de la Gotheliere, in feodo Ricardi Muriel, in medietate feodi Asce Florie, tandem, post multas alterquationes et controversias, pacificatum est inter nos et compositum in hunc modum : quod dicti abbas et conventus de Monte Morelli habebunt et percipient, de cetero, dictam decimam in perpetuum, ita tamen quod ipsi tenentur reddere nobis vel nostro priori de Balaam, qui pro tempore fuerit, singulis annis, pro dicta decima, septem libras et dimidiam Turonensium terminis infra scriptis : Videlicet in Nativitate Domini quatuor libras et in Resurrectione Dominica sexaginta et decem solidos annuatim ; et, si prefati abbas et conventus de Monte Morelli dictis terminis, vel aliquo dictorum terminorum, deficerent in solvendo per compositionem istam, nos abbas et conventus Montis Sancti Michaelis de periculo maris sine contradictione, molestatione et impedimento dictorum abbatis et conventus de Monte Morelli et successorum suorum, possumus in grangiis eorum de Polleio et de Monte Morelli, tam pro principali ultra terminos seu terminum detento, quam pro expensis, nostram plenariam justiciam exercere, donec super premissis nobis plenarie fuerit satisfactum, et ipsi tenentur nobis, ex tunc, tradere claves dictarum grangiarum, si super hoc a nobis fuerint requisiti. In cuius rei testimonium et munimem, nos eisdem religiosis presentes litteras sigillo nostro conventionali dedimus sigillatas. Datum anno Domini M° CC° LX quinto, die lune post festum Beati Luce, evangeliste.